



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii
Apostolici, olim Ecclesiae Venusinae, ac deinde Aesinatis
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad
Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus,
Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus: necnon
Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus,
apprimè utile ...

In qua præter formulas Declaratoriarum Censurarum, ponuntur aliæ
formulæ, tum Citationum, ac Monitionum pro validitate processuum
requisitarum, tum Decretorum, aliorumve actuum ad opportunitatem, &
ornatum materiæ incidentium; acceditque in calce Appendix miscellanea,
plura, ad Gubernium ...

Monacellus, Franciscus

Venetiis, 1709

§. VII. De Suspensione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62433)

ut jam diximus, & docet *Glof. in c. super*
51. verb. cum promissione tit. eod.

83 Secundus; absolutionis modus cum re-
 incidentia solet praticari, quando quis
 propter mortis periculum, vel aliquod
 aliud impedimentum legitimum excom-
 municatus, fuit absolutus ab eo, à quo
 aliàs non potuisset absolvi, eo cum one-
 re, seu conditione, ut cessante impedi-
 mento, vel periculo se præsenteret Supe-
 riori, qui extra eum casum illum poterat
 absolvere, non ut ab eo iterum absolva-
 tur, cum jam plene absolutus sit, sed ut
 satisfactionem imponat, & mandatum
 suscipiat *cap. de cetero, &c. quomvis de*
sent. excomm. is enim si cessante periculo,
vel impedimento, se non præsenteret,
cum commodè potest, reincident in sen-
tentiam excommunicationis ipso jure,
ut disponit text. in c. eos qui 22. de sent. ex-
com. in 6. si autem in dicto mortis periculo
excommunicatus absolutus esset simplici-
ter absque dicto onere, non reincidentet
ipso jure, sed esset necessaria Judicis de-
claratio, Graff. consil. 13. num. 7. de sent.
excom. lib. 5. tom. 1.

84 At si absolutio, cum reincidentia con-
 cedatur, ut sæpe contingit, vigore lite-
 rarum Sac. Congregat. Immunit. tunc
 elapso termino absolutionis, Ordinarius
 debet reaffigere Cedulones contra jam
 cum reincidentia absolutos, ut ead. Congre-
 gat. respondit in Baren. 19. Decembr. 1634.
 & in Alessanen. 17. Januar. ejusdem anni
lib. 2. dec. pag. 181. si verò absolutio conce-
datur ad tempus, tempore elapso, abso-
lutus ipso jure reincident, quia absolutio
ista est potius suspensio excommunicatio-
nis, quæ finito tempore cessa Graff. loco
cit. n. 8. & hoc evenit, quoties Sac. Cong-
reg. Concilii, vel Episcopor. rescribit:
Episcopus informet suspensis censuris ad tres
meses, vel alio simili modo.

85 Hanc autem absolutionem cum rein-
 cidentia, dare non possunt A. C. neque
 Ordinarii locorum, quoties agitur de
 censuris promulgatis ex causa jurisdic-
 tionis immunitatis, vel libertatis Ec-
 clesiasticæ uti reservatis summo Ponti-
 fici, ut sæpe declaravit ead. Sac. Congr.
 & præsertim in una Regni Neapolitani
 27. Maii 1643. lib. 3. Dec. Paul. pag. 176.

numer. 6. & recenter in Melphien. 22.
 Aprilis 1673. lib. 1. Decr. Alt. pag. 792.
 & in Ravellen. 30. Augusti 1698. lib. 2.
 Decr. Vallem. pag. 172. à tergo, in quibus
 dictum fuit, quod quatenus A. C. in præ- 86
 dictis causis, inhibitiones, vel absolutio-
 nes concederet, illis non obstantibus,
 Episcopus contra reos procedere possit.
 Si autem Episcopus vigore facultatis si-
 bi delegatæ in iisdem causis absolvat,
 pro Decreto absolutionis nihil recipere
 debet, salvo tamen quod debetur pro 87
 reintegratione immunitatis læsæ, ac pro
 actis Curie Episcopi, ead. Congr. in
 Majoricen. 14. Aprilis 1674. lib. 1. Decr.
 Alt. pag. 924.

88 Absolutio autem non præsumitur, &
 ideo, qui semel fuit publicè excommu-
 nicatus, præsumitur adhuc censura li-
 gatus, nisi probet se absolutum fuisse
cap. sicut 39. de sent. excomm. neque suffi-
cit hoc probare in foro contentioso per
schedulam Confessarii, ut advertit Pi-
ring. in jus can. lib. 5. tit. 39. numer. 180.
vers. notandum secundo. Et hæc de pri-
ma censura in præludio attingisse suffi-
ciat.

De Suspensione §. VII.

89 Secunda censura est Suspendio, per
 quam persona Ecclesiastica privatur usu
 seu exercitio Ordinis, Officii, aut Bene-
 ficii Ecclesiastici, quod illi competit
 ratione alicujus potestatis Ecclesiasticæ,
 in totum, vel in partem, ad tempus,
 vel in perpetuum ob suam culpam. Hæc
 censura ferri non potest, nisi ab habente
 jurisdictionem Ecclesiasticam exte-
 riorem *cap. dudum il 1. de elect. Dicitur ibi*
-- persona Ecclesiastica, ad differentiam
excommunicationis, & interdicti, quæ
etiam in laicos feruntur. Dicitur ibi
-- ob suam culpam, quia quatenus est
 censura ferri non potest absque propria
 culpa saltem veniali, & ad differentiam
 interdicti, quo ferri potest etiam pro cul-
 pa aliena.

90 Suspendio dividitur in totalem, &
 partialem. Totalis est simul ab Officio,
 & Beneficio, cujus exemplum habetur
 in *cap. tuarum 11. de privileg. & in clem. 1.*

de decim. item vel est suspensio totalis ab Officio dicitur, per quam aliquis ab omni Officio Spirituali, tum Ordinis tum jurisdictionis, & Ecclesiasticæ administrationis prohibetur. Totalis verò suspensio à Beneficio est, per quam aliquis ab omni

91 Beneficio Ecclesiastico, quoad ejus administrationem, & fructuum perceptionem suspenditur. Et hinc est, quod quando quis suspenditur determinatè ab Officio, sive à jure, sive ab homine, non censetur suspendi à Beneficio, nisi id exprimat: quia suspensio ab Officio, & à Beneficio sunt diversæ species suspensionum, ita ut una non contineatur sub altera, nisi utraque exprimat, ut patet ex *c. tam litteris 33. de test. d. cap. tuarum de privil. cap. 1. de secund. nupt. cap. quia in omnibus de usur. c. ult. de clandest. despons. c. cum in cunctis §. fin. de elect.* in quibus juribus una ab altera distinguitur.

92 Partialis suspensio fit, vel à certo tantum Officio, aut parte ejus, v. g. ab Ordine tantum, per quam prohibetur ordinatus exercere aliquem actum suo ordini deputatum, & æquipollet suspensioni à divinis (potest autem facere, quæ facit laicus) vel à certo ordine, per quam prohibentur omnes functiones illius ordinis v. gr. Sacerdotalis, vel à certa functione, sive actu ordinis, v. g. ab audiendis confessionibus, vel celebratione missæ: vel à jurisdictione tantum, ita ut nullus actus jurisdictionis suspensus possit exercere: aut à certo tantum actu jurisdictionis, v. gr. à collatione Beneficii, vel voce suffragii in electione, vel demùm à certa parte tantum fructuum Beneficii, aut distributionum, ut tradunt communiter Navarr. *manual. confess. cap. 27. nu. 51. cum seqq. Graff. dec. aur. part. 1. lib. 4. cap. 25. & consil. 10. diff. 3. & consil. 12. numer. 2. de sentent. excomm. lib. 5. Bonaccin. tom. 1. de suspens. disp. 3. punct. 1. Guazzin. ad defens. animar. lib. 2. defens. 6. cap. 43. Pirhing. in jus can. lib. 5. tit. 39. n. 198. & duob. seq.*

93 Præterea quælibet ex prædictis suspensionibus, vel fertur à jure, vel ab homine: item vel est temporalis, vel est perpetua, temporalis cessat elapso termino; perpetua verò non tollitur nisi

per absolutionem. Suspensiones autem provenientes à jure communi, vel Constitutionibus Apostolicis, sunt sequentes.

Contra Clericos.

Recipienter scienter Ordines Sacros ab eo, qui renunciavit Episcopatu *c. 1. de ordin. ab Episc. qui &c.*

Recipientes Ordines ab alieno Episcopo sine licentia proprii *cap. 1. & 3. dist. 71. Concil. Trid. sess. 23. cap. 8. de reform. & contra recipientes Ordines Sacros Bulla Pii II.*

Recipientes Ordines à proprio Episcopo Pontificalia exercente in aliena Diocesi sine licentia Episcopi loci *Conc. Trid. sess. 6. de reform. c. 5.*

Recipientes Ordines ab Episcopo titulari absque proprii Prælati licentia, etiam prætextu familiaritatis *Conc. Trid. sess. 14. de refor. cap. 2.*

Recipientes Ordines à schismaticis *c. 1. & 2. de schismat.*

Recipientes scienter Ordines ab excommunicato *DD. in d. cap. 1. & 2. de schism. Sayr. de censur. lib. 2. c. 1. n. 1.*

Recipientes Ordines dum sunt excommunicati, suspensi, vel interdicti *c. cum illorum de sent. excomm.*

Recipientes Ordines Sacros antè legitimam ætatem *cap. vel non est compos de tempor. Ord. vel extra tempora absque dispensatione Bulla Pii II. 7. vel non servatis interstitiis c. cum quidam: & c. litteras de tempor. Ordin.*

Obiicientes in personam electi, & postea deficientes in probatione, à Beneficiis per triennium suspenduntur *c. 1. de elect. §. Adicientes in 6.*

Ordinatos sine, vel ficto titulo *can. neminem cap. Sanctorum dist. 70. & contra Ultramontanos Bulla Urban. VIII. 33. §. 3.*

Promotos per saltum *Conc. Trid. sess. 23. c. 14. de refor.*

Suscipientes Sacrum Ordinem post matrimonium ratum etiam non consummatum *extravag. Antiquæ de Vot.*

Ordinatos in Sacris cum litteris dimissoriis Capituli, sive ejus Vicarii Sede

de vacante infra annum *Concil. Trid. sess. 7. de refor. cap. 10.*

Tradentes sepulturæ publicos usurarios *c. quia in omnibus de usu. vel ab illis accipientes obligationes.*

Parochos iungentes Sponfos alterius Parochiæ sine licentia proprii Parochi *Concil. Trid. c. 1. sess. 24. de refor. matr.*

Parochos non prohibentes matrimonia clandestina, vel contra interdictum Ecclesiæ *cap. cum inhibito §. Fin. de cland. disp. At hæc suspensio trienniali non est iplo jure lata, sed ferenda à Judice: quia text. dicit -- ab officio suspendatur, quod est verbum futuri modi, respiciens actum, sive Judicis ministerium: imo hodie attento Trid. Concilio loco mox citato, pro tali delicto, pœna videtur arbitraria, ut ait Sanch. de matrim. lib. 3. disp. 48. n. 4.*

Utentes publicè virgata, vel partita veste sine causa rationabili, per sex menses suspenduntur à perceptione fructuum Beneficiorum *clen. 2. de vit. & honest. cleric.*

Gravantes alienis debitis Ecclesias sibi commissas *c. 2. de solut.*

Occupantes bona Ecclesiarum vacantium, vel à Prælati ipsarum defunctis relicta *c. quia sæpe de elect. in 6.*

Electores Episcoporum non præsentantes electo electionem infra octo dies sunt suspensi à perceptione fructuum suorum Beneficiorum per triennium *cap. cupientes de elect. in 6.*

Eligentes indignum ad Episcopatum, vel curam animarum ab Ecclesiasticis Beneficiis triennio sunt suspensi, *c. cum in cunctis de elect. in 6.*

Compromissarios scienter eligentes indignum, hi ab Ecclesiasticis Beneficiis triennio sunt suspensi. *c. compromissarius tit. eod.*

Postulantes ad Cathedrales Ecclesias minores 27. annis, & ad Ecclesias inferiores Religiosos Ordinum Mendicantium, Beneficiis, quæ in ipsa Ecclesia obtinent suspenduntur *extravag. unic. de postulat. Prælat.*

Eligentes per abusum sæcularis potestatis *c. quis quis 13. de elect.* non est suspensio latæ sententiæ, sed ferendæ.

Inferiores Episcopis, recipientes pro-

curationem visitando in pecunia, vel in victualibus, visitationis officio non impenso *c. exigit de cens. in 6.*

Facientes contra conscientiam, & contra justitiam in gravamen partis in judicio, quicquam per gratiam, vel per Sortes, sunt suspensi ab officio per annum, *c. 1. de sent. & re judic. in 6.*

Conservatores Regularium, qui se intromiserint in aliis, quam manifestis injuriis, ab officio per annum suspensi sunt *c. fin. de offic. & potest. jud. deleg.*

Concubinarios notorios, *cap. fin. de cohab. cleric. & Mulier.*

Celebrantes missam, & in ea non communicantes *cap. relatum de consecr. dist. 2.*

Omittentes sine gravi causa missam jam inchoatam, incurrunt suspensionem à Corpore, & Sanguine Christi *cap. nullus Episcopus 57. de consecr. dist. 1.* possunt tamen Eucharistiam sumere more laicorum.

Crimen nefandum exercentes *Bulla Pii V. 72.*

Consequentes Ordines Simoniacè *Bulla Pii V. 5. §. 8. c. penult. de Simon.*

Spontè jurantes de tenendo schismate *c. 1. de schismat.*

Raptores Mulierum *Concil. Trid. capit. 6. sess. 24. ref. matr.*

Disputantes in popularibus Concionibus, de Immaculata Conceptione B. M. V. aut de ea vulgari Sermone scribentes, aut dictantes *Bulla Pii V. 114. §. 2. aut impugnantes illam Greg. XV. Constit. 29.*

Celebrantes coram excommunicato scienter *c. is qui 18. ibique glos. de sent. excom. in 6.*

Recipientes, & admittentes Prælatos promotos à Sede Apostolica, eisque obediens sine litteris *extravag. 1. de elect.*

Superiores Ecclesiarum non exigentes singulis annis rationem de adimplemento onerum missarum *Bulla Innoc. XII. anno 1697. emanata.*

Contra Episcopos.

Conferentes ordines simoniacè, *cap. penult. de simon. extrav. 2. de simon.*

Ordi-

Ordinantes non subditum absque licentia proprii Ordinarii, *Concil. Trid. capit. 8. sess. 23. de refor.*

Ordinantes ad Sacros Ordines Religiosos non professos, *Bulla Pii V. 75.*

Ordinantes Monachum sine licentia Abbatis, *c. fin. dist. 58. ubi Barb.*

Conferentes Clericalem Tonfuram infanti, aut illitterato, vel conjugato, per annum à collatione Clericalis tonfuræ suspenduntur, *c. nullus. de temp. ord. in 6.*

Privantes Beneficiis eos, qui in Romana Curia commorantur, *Eug. IV. in extravag. Divina de privil.*

Submittentes laicis bona, & jura Ecclesiæ absque consensu Capituli, & Sedis Apostolicæ licentia, *c. hoc consultiſſimo de reb. Eccles. non alien. in 6.*

Occupantes, & in proprium usum convertentes bona Beneficiorum vacantium ad eorum provisionem pertinentium, ab ingressu Ecclesiæ sunt suspensi, donec restitutionem fecerint, *cap. fin. de offic. ord. in 6.*

Abutentes potestate delegata in causa alienationis bonorum, & per gratiam aut timorem, vel sordes, alienationi consentientes, & Decretum interponentes, *Constit. Pauli II. 2. Bulla tom. 1. pag. 327.*

Admittentes resignatione Beneficiorum contra formam præscriptam in *Constit. 58. Pii V.* suspenduntur à collatione, electione, præsentatione, confirmatione, & institutione Beneficiorum, & officiorum.

Negligentes procedere contra simoniacos, *c. quid quid 101. 1. quest. 1.*

Episcopos Inquisitores, qui faciundo, vel omittendo delinquant in officio, *clém. 1. §. verum de heret.*

Procurantes capi Ecclesiasticos, ut renuncient Beneficiis, vel ut citati, ad Sedem Apostolicam accedere non valeant suspenduntur triennio à perceptione fructuum Ecclesiarum suarum *clém. 2. de penit.*

Non servantes *extravag. 2. de elect. Joann. XXII.* quoad perceptionem fructuum Beneficiorum vacantium primi, vel secundi anni.

Confirmantes, & consecrantes ele-

ctum in Episcopum, non præmissa inquisitione, an in recessu ab appellatione ad S. Sedem interposita pravitas intercesserit, *c. provida de elect. in 6.*

Accedentes ad Ecclesias, ad quas fuerunt promoti non expeditis litteris, ac non præstito fidelitatis juramento, *extravag. 1. de elect.*

Concubinarios à Synodo Provinciali monitos, non se emendantes, *Concil. Trid. c. 14. sess. 25. de refor.*

Relaxantes incendiariis poenas à jure inflictas, *c. pessiman 23. quest. 8.*

Publicantes indulgentias, & facultatem eligendi Confessarios, solventibus aliquid *Bulla Pii V. 99.*

Non visitantes limina Apostolorum tempore præscripto *Bulla Sixti 15.*

Ingredientes Monasteria Monialium in casibus non necessariis, *Bulla Greg. XIII. 28. dubiis.*

Contra Capitula.

Occupantes bona à Prelato dimissa, vel vacationis tempore obvenientia, *c. quia saepe de elect. in 6.*

Recipientes Prælatos, eisque obediētes absque litteris Papæ, *extravag. 1. de elect.*

Recipientes ex pacto in ingressu ad Religionem ab admisso, prandia, pecunias, aut jocalia, *extravag. sanè de simon.*

Non observantes in resignatione Beneficiorum contenta in *Bulla Pii V. 58.*

Contra Religiosos.

Apostatas in Apostasia ordines recipientes, *c. fin. de apost.*

Recipientes Alumnos ad professionem antè annum probationis, *c. non solum de regul. in 6.*

Superiores concedentes redditus, aut possessiones Monasteriorum alicui ad vitam, seu aliud certum tempus, nisi necessitas exposcat, *clém. 1. de reb. Eccles. 1.*

Appropriantes sibi, & usurpantes decimas ipsis non convenientes, *clém. 1. de decim.*

Non deferentes habitum à regula præ-

præscriptum *Clem. 1. §. si quis de stat. monac.*

Prælatos, ad quos occasione excessuum suorum Religiosorum bona aliqua pervenerint, non satisfaciētes personis damnificatis, *Clem. 1. §. quibus de privil.*

Postponentes conscientibus conscientiam facere de solvendis decimis, ab officio prædicationis, ipso facto, suspensi sunt, *Clem. cupientes de pæn.* quam si violaverint excommunicationem incurrun *t ibi.*

Non profectos recipientes Ordines Sacros, *Bulla Pii V. 75.*

Introducentes Mulieres intrâ Claustram Monasteriorum, *Bulla Pii V. 20.*

Ejectos à Religione, *Urban. VIII. Constit. 16. §. 10.*

Superiores, non exigentes à Sacristis, & Ecclesiarum Regularium ministris singulis annis rationem, de adimplemento onerum missarum, *Bulla Innoc. XII. anno 1697. emanata, data, in appendic. tom. 1. pag. 346.*

Et has suspensiones enumerasse sufficiat, cæteris prætermittis, quæ vel singularum Religionum causæ serviunt, vel sunt comminatoriæ, vel cum interdicto confunduntur. Eas autem, quæ ab homine promanant, quis, & ob quam causam ferre possit, quia sint effectus suspensionis, nunc breviter erit videndum.

De potestate, & causa ferendi Censuram suspensionis. §. VIII.

94 Omnis, & solus ille, qui potest excommunicare, potest etiam suspendere, *Navarr. manual. cons. cap. 27. n. 155.* ratio est, quia, & eadem est potestas jurisdictionis ad ferendas censuras, cum omnes ad eundem finem ordinentur, scilicet ad coercendam contumaciam, & inobedientiam subditorum rebellium.

95 Hæc censura scripto ferenda est regulariter, sicut excommunicatio, *c. 1. de sent. excom. in 6.* debet præcedere suspensionem monitio, quando ab homine ferenda est ob contumaciam: quamvis non requiratur, quando infligitur in pœnam ut distinguit *Navar. loco nuper cit.* cum aliis, quos

refert, & sequitur *Pirhing. in jus canon. lib. 5. tit. 39. n. 205.*

Soli autem Clerici, præter Papam: 96 possunt Censura suspensionis ligari, quia est quædam privatio Ecclesiasticæ potestatis, cujus soli Clerici sunt capaces. Probabile tamen est etiam Abbatissas, posse suspensionem incurere. quia sunt personæ Ecclesiasticæ capaces spiritualis officii, & jurisdictionis spiritualis, saltem ex commissione, *Pirhing. loco citat. num. 206.* Episcopi verò ex privilegio, *c. quia periculosum 4. de sent. excom. in 6.* non incurrun *t suspensionis, 97 nec interdicti generalem sententiam à jure latam, nisi eorum fiat expressa mentio.*

Porrò non tantum singulares personæ, sed tota communitas, seu Collegium Clericorum, suspensione ligari potest; idque vel collectivè, ut v. gr. totum corpus Capituli suspendatur, vel distributivè singuli è corpore, dummodo noxii sint suspendantur, *c. 1. ne sed. vac. & c. quia sæpè 40. de elect. in 6.* *Pirh. ubi supra num. 207.* *Guazzin. jun. ad defen. anim. lib. 2. def. 6. cap. 43. numer. 14.* 98 Verum est tamen, quod hæc censura ut supra notavi, non incurritur, nisi ob propriam culpam, eamque mortalem, prout communiter imponi solet, etiam ab homine (nisi suspendatur totum corpus collegii: nam tunc potest incurri etiam sine culpa, sed non sine causa, & hoc tunc fit ob bonum publicum, & commune, ut est bellum, quod fit contra Urbem rebellem, in qua nocentes cum innocentibus occiduntur) cum pœna debeat esse commensurata delicto, seu culpæ: Et suspensiones ab officio, beneficio, ordine &c. sint graves pœnæ; ideò requirunt culpam gravem, seu mortalem. Quod si levis sit suspensio, v. g. ab uno actu electionis, à Missa celebranda una die, vel ad breve tempus, potest etiam alicui imponi, etiam propter levem, sed venialem culpam, *Pirhing. & Guazzin. locis citatis, Sayr. de censur. lib. 4. cap. 1. n. 20.* 99